

ACERBUS

NEGLECTÆ

VOCATIONIS
FRUCTUS

LUDIS MARIANIS

EXHIBITUS,

CUM

CONGREGATIO MINOR

B. V. MARIÆ

SINE LABE CONCEPTÆ

MAGISTRATUM SUUM

instauraret.

LANDISHUTI

Mense Decembri.

Typis Josephi Davidis Schallnkammer, 1760.

ARGUMENTUM.

Fratres duo Germani superiore sæculo cum mundi illecebras fugere maturo consilio cæpissent, adeoque inter religiosos vivere uterque, a malo genio, vel potius Matris suasu ex cænobiis totius pene Sueviæ nobilissimis in patriam sunt redacti. Regressi itaque ad suos dum cum aliis æqualium suorum liberalia liberalius agunt, jurgia contrahunt, inde mox in iras immodicas effervescunt, eoque, ut minor natu majorem lethali vulnere faucium prostraverit. Itaque domum pertractus expirat, & fraticida deprehensus paulo post capite minuendus in custodiam est datus. Ita *Nieffius in Alphabeto diaboli.*

En acerbum, Mariani Sodales! Vocationis neglectæ fructum, Dramatis pars prima considerandam vobis proponet neglectæ Vocationis culpam, pars altera spectandam dabit penam. Musica in Prologo Libertatem impiam, in Scena intercalari miseram exhibebit.

Scena figitur in ædibus paternis.

ACTO.

ACTORES.

Melindus, inter fratres natu minimus. Illustris ac Generosus, D. Christoph. Sigismund, S. R. I. Comes ab & in libero Seyboldstorff, Deutenhoven, Dullbach, Hoyertshausen &c. &c.

Richardus, natu maximus. Sebastian. Palauff. Rhetor.

Florindus, natu minor. Dominicus Sick. Rhetor.

fratres ex Cænobiis reducti.

Alvarus, Cognatus. Sacri Ordinis Candidatus, Nobilis Carolus Ludov. Ockl, Rhetor.

Fabianus. Familiaris Florindi. Romanus Sebast. Kleindienst. Rhetor.


Stasimus, Famulus. Petr. Paul. Schwaiger, Rhet.

IN MUSICA.

Mors, Nob. Franc. Ignat Halberstat. Rhetor.

Libertas, Antonius Strobl. Synt. min.

Conscientia, Georgius Happach. Synt. min.



PRO:

PROLOGUS.

Libertas impia.

Personæ. Libertas. Conscientia.

Libertas. Apage cum tuis scrupulis, quos
liberæ menti injicis, Libertas anxiam non audit
Conscientiam.

ODE.

Ita ego sentio,

Ita mecum statuo.

Nemo mihi fidere,

Nemo posset vivere,

Si quæ tuo carpis dente,

Omnibus carendum sit.

Illum puto captum mente,

Qui in tuos sensus it,

Ita mecum statuo,

Ita ego sentio.

Consc. Imo quam decipitur, qui tua sequitur
demens præcipitia! O Libertas! non semper
aurea, sed sæpe sæpius lutea, & plerumque no-
xia.

ODE.

1.

Avicula!

Dum avolat ex cavea,

Jam liberam se credit.

Ludente penna tenuem

Exultans secat aërem,

In

In gyros mille redit:

Cum subito

Furore Milvus improbo

In miseram impingit,

Cruento ungue lacerat,

Stridente rostro devorat,

Cruore gulum tingit.

2.

Avicula!

Manisses melius,

Vixisses longius.

In cavea!

Lib. Intelligo, quid velit hæc oratio. Me
vis invisam reddere, vis Libertatem tollere. -
Sed frustra es, nil jam proficies. *Consc.* Si nil
proficio, es proxima exitio. *Lib.* Sine, sine
me libere incedere. *Consc.* Sino te, si tamen
intra limites rationis te contines.

Ode gemina.

1.

Consc. Non, non, quod libet, licet,

Probanda serio

Est actio,

Lib. Ad hæc Libertas dicet:

Probatur genio,

Quod agito,

2.

Lib. Quin audi! probabilius,

Sic meus dicit Genius,

Hoc licet agere.

Consc.

Consc. Ah! ratio, non *genius*
Est auctor probatissimus,

Hunc unum sequere.

Lib. Abi, abi, sine me

Consc. Væ improbæ!

Musica intercalaris.

Libertas misera.

Personæ. Libertas, Conscientia, Mors.

Consc. Sic habeor derisui, sic cunctis sum despectui! Nil jam mei proficiunt stimuli.

Lancino, tordico,

Sed nil efficio.

Animum vellico,

Aërem verbero,

Jam est Libertas improba

Præ Conscientia.

Sed væ! væ! væ!

ODE.

I.

O improbi Mortales,

Quam estis stupidi!

In casus quam fatales

Vos datis miseri!

Admoneo: cavete Præcipitium!

Nec audior!

Perterreo: timete ah exitum!

Et rideor!

Mortales stupidi,

Quam estis miseri!

Libertas vos excæcat,

Dum me exploditis.

Sed mors dum filum secat,

Amare flebitis.

Vos excito, dum meis pungo stimulis,

Despicior!

Quod nequeo, Mors suis aget spiculis:

Sic vindicor.

Mors * telum exere, * Mors imminet.

Scelestos percutite.

Mors. Vocata adsum: paratum fero spiculum.

- Sed cur ego vocor a te? *Consc.* Percute, per-

cutite. *Mors.* Tene vis percutiam? Absit, Con-

scientiam necare non sustineo, non potero. *Consc.*

Non me sed libertatem impiam, Juventuti tam

noxiam percutite, percutite. * Ac en! in tem-

pore ipsa se fert obviam. *Mors.* Accingo me,

percutiam. ** *Libert.* Heu me! quid hoc? heu

fugio, fugio! *Mors.* *** Imo sistito. *Lib.*

Ah! ah! in medio cursu concido! - ad plures

abeo. - - Pereo - - - *Mors.* Habet, jacet.

Consc. Quod fecisti, placet. Casus hic fors alios

criget. *Mors.* Aut similis incautos opprimet.

ODE.

I.

Sic pereunt, qui vilibus

Se dant deliciis:

E Libertatis legibus

Qui vivunt impiis.

Eq

En subito
Impono finem júbilo !
Chryſtallum diſſilit,
Et roſa deficit !
Sic teneri
Ætatis cadunt floſculi.

2.

O Juvenes, deſipere,
Jam nunc deſinite.
Hoc jaculum in tempore
Timere diſcite,
Vix ultima
Dat ſonum hora ſtrepera,
Mors arcum expedit,
Telumque ejicit,
Et ultimam,
Heu! vitæ dat Tragœdiam.

O. A. M. D. D. V. M. S. L. C. H. & G.

